

# Augustyn Jankowski

---

## "Manna absconditum" (Ap 2, 17) quonam sensu ad Eucharistiam referatur

---

Collectanea Theologica 29/1-4, 3-9

---

1958

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## AUGUSTINUS JANKOWSKI OSB

### „MANNA ABSCONDITUM“ (Ap 2, 17) QUONAM SENSU AD EUCHARISTIAM REFERATUR

Concinnanti mihi nuperrime commentarium in Apocalypsin Iohanneam sat mira visa est apud auctores huius temporis opinionum diversitas simul et incertitudo in exponendo, quid significaret *praemium „manna absconditum“* (Ap 2, 17), promissum a Christo „vincenti“ in epistula „Angelo“ ecclesiae Pergameneae destinata. Quo symbolo Eucharistiam designari sat communiter docebat Traditio. Sic v. gr. censuerunt: Origenes (in Scholiis), Primasius, Andreas Caesareensis, Beda Venerabilis, Alcuinus, Haymo, Berengaudus, Arethas Caesareensis, Dionysius bar-Salibi. Qui sensus symboli eucharisticus tum medii aevi tum recentioris aetatis scriptoribus asceticis percarus fuit. Ultimi vero saeculi commentatores in diversas abeunt sententias: alii interpretationem eucharisticam silentio praetereunt, qui sunt permulti, *præ primis e castris acatholicorum*, alii eam saltem verisimilem autumant<sup>1)</sup>, alii denique aperte ipsi assentunt<sup>2)</sup>. Sed apud hodiernos exegetas non ita

<sup>1)</sup> Ita — temporis ordine servato — v. gr. H. Lesêtre, DB IV, 1, 663; M. Meinertz, Theologie des NT, Bonn 1950, II, 174.337; J. Bonsirven, L'Apocalypse de St. Jean, Paris 1951, ad. loc.

<sup>2)</sup> Ita ad locum habent commentarii: E.-B. Allo, St. Jean L'Apocalypse, Paris<sup>3</sup> 1933; M.-E Beismard, L'Apocalypse, Paris 1950, R. Gutzwiller, Herr der Herrscher, Christus in der Geheimen Offenbarung, Einsideln 1951; P. Häring, Die Botschaft der Offenbarung der hl. Johannes, München 1953; C. C. Martindale, The Apocalypse, London — New York 1953 (in The Catholic Commentary on Holy Scripture). Ex acatholicis vero: Th. Zahn, Die Offenbarung des Johannes, Leipzig<sup>4</sup> 1926. Praeter hos commentarios, qui paucissima habent de „manna

multa invenies, cur tali explicationi huius symboli calculum adiecerint vel saltem probabilem eam aestimarint. Quam ob rem operae pretium est tum in causas eius modi incertitudinis opinionum inquirere, tum hac inquisitione peracta summam argumentorum pro interpretatione eucharistica adstruere et ipsam nova quadam luce illustrare. Hoc modo spero peculiarem sensum symboli eucharisticum enucleatum iri.

Causae dubitandi de sensu eucharistico nostri symboli ad tria potissimum capita videntur mihi posse reduci. Primo „manna“ hoc loco satis explicatur ideis tum Veteris Testamenti tum commentis theologicis Iudaismi tardioris aetatis, secundo symbolum hoc loco sensum eschatologicum prae se fert, qui aegre componitur cum Eucharistia, tertio symbolum videtur rem magis generalem quam unum sacramentum designare. In singula puncta haec inspiciamus oportet.

Appositio adiectivi „absconditum“ ad vocem „manna“ alludere videtur non tam ad arcana quaedam fidei Christianae, quam potius ad res notas ex Vetere Testamento vel etiam ad symbola usurpata in theologia Iudaismi. Reapse plerique commentatores solent allegare has analogias: a) vase aureo abscondebatur manna in Arca Foederis (Ex 16,33s; Hb 9,4); b) secundum traditionis Iudeorum quandam narrationem tota Arca Foederis, una cum praedicto vase aureo continente manna, abscondita est ab Ieremia propheta in quodam specu (2 Mach 2,5-7); c) theologi Iudaismi contendebant manna hoc saeculo inveniri non posse (Mekhilta Ex, 16,25,169), utpote absconditum tertio in caelo (Rabba Gn 19; — Nu 13), ex quo durante regno messianico ipsum pluere necesse sit (Bar syr 29,8; Sibyll 7,148s). Si ergo tot analogiis ex Vetere Testamento et scriptis rabbinicis illustratur „manna absconditum“, cur recurrentum est ad Novum?

Deinde non est dubium, quin Christus per Iohannem septem Asiae ecclesiis mittens nuntium, Iudicis Supremi atque Remu-

---

„abscondito“ peculiari studio in praemia apocalyptic incubuit A. Škrinjar, Praemia in Apoc. 2 et 3 Victoriae proposita, VD 13 (1933) 182—186.232—239.277—280.295—301.333—340, qui ibidem (238s) traditionali explicationi eucharisticae plenum dat assensum.

neratoris gerat personam. Praemia igitur ab ipso distribuenda videntur spectare ad aevum eschatologicum sensu stricto variisque nominibus aeternam beatitudinem caelestem designare. Atqui certo certius in caelo Eucharistia celebrari cessabit, ergo aliud quid significare oportet „manna absconditum“, non Eucharistiam.

Denique ipsum symbolum — uti tale — caute interpretandum est, praesertim cum in Apocalypsi symbola saepe non clare distincta et univoca, sed potius — si fas est ita dicere — fluctuantia et „elastica“ esse constet. Quapropter et res omnes symbolicis praemiis significatae videntur latiorem induere sensum, quam unius sacramenti stricte determinati.

Totius quaestionis examen incipiamus oportet ab his, quae tamquam argumenta pro sensu eucharistico allata sunt in Traditione. Etsi de unanimi ipsius consensu hac in re vix quicquam dici possit, nihilominus tamen haec puncta interpretationis a Traditione stabilita, postea fusius tractata, in tuto collocari videntur, et a quopiam interprete serio rem tractante levi pede non sunt transeunda: 1) manna, saepius in Vetere Testamento nuncupata „panis de caelo“ (v. gr. Ex 16,4; Ps 77 (78), 24; 104 (105), 4; Sap 16,20), cum hac ipsa locutione synonymica in Novo Testamento est typus Eucharistiae, et quidem tum in scriptis Iohanneis (J 6,31-33.48-52) tum in Paulinis (1 C 10,3.6.11.16s.20s)<sup>3</sup>; 2) praemium hoc in contextu sermonis opponitur mensae, in qua deorum cultores pagani idolothytis vescebantur (Ap 2,14); simili ratione utraque mensa opponitur apud Paulum loco citato<sup>4</sup>). Duae hae similitudines certo certius pluris valent in vero symboli sensu detegendo, quam istae, quae ex Iudeorum desumuntur scriptis. Iohannes enim dum quae-dam ex Iudaismi theologia desumere videtur, sedulo omnia haec — uti patet ex exemplo regni millennarii — purgat ab omni elemento terrestri. Ceterum somnia de cibo aevi messianici

<sup>3)</sup> Ita iam Primasius (ML 68, 806s) et Andreas Caesareensis (MG 106, 238).

<sup>4)</sup> Oppositionem „impuri cibi“ et „panis vitae“ inculcat Arethas (MG 106, 537).

ci mirum quantum distant a profunditate theologica symbolorum, quae in scriptis Iohanneis reperiuntur. Etsi allusiones ad vas, in quo asservabatur manna in Arca Foederis, vel ad actionem Ieremiae penitus excludi non possint, tamen nostro in contextu sermonis non sunt tanti momenti, ut intra limites Veteris Testamenti una cum doctrina theologica Iudaismi symboli sensum valeant coarctare. Ceterum pleraque, si non omnia prorsus, symbola Apocalypses Iohanneae, ex Vetere mutuata Testamento, in sensum Christianum manifesto — ut ita dicamus — transponuntur. Antiqua enim origo symboli novitati rei significatae nullatenus obstat. Hoc igitur modo prima, quae oriri posset, obiectio refutatur.

Dubium alterum, quod ad sensum totius loci eschatologicum appellat, speci tenus maioris est momenti, nam Christum ibi ex Remuneratoris Supremi persona loqui quis est, qui neget. At nimis „more geometrico“ ratiocinaretur, ideoque erraret, qui in imaginibus ideisve Apocalypses vellet linea semper distincta atque nitida aevum praesens a „vita venturi saeculi“ separare. Constat enim in Apocalypsi, sicut ceterum saepe in theologia Novi Testamenti, aevum futurum, i. e. proprie eschatologicum, quodam modo superimponi aevo praesenti, uti simul existens usque ad Parusiam, qua facta aevum praesens cessabit. Ergo imprimis quaerendum est, utrum praemia in epistulis ad septem ecclesias enumerata, praecipue vero „manna absconditum“, sint eschatologica sensu stricto, an illo latiore, aliis verbis: utrum adventura sint demum aevo praesenti elapso, an dono Christi iam quodam modo adsint. Sermonis contextus in cunctis septem epistulis semper adesse sensum stricte eschatologicum manifesto negat. Nam: a) comminationes Christi, „qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum“ (2,1), i. e. conscient sollicitus que est rerum praesentium totius Ecclesiae suae, saepe ad aevum praesens spectant (sic v. gr. pluries repetitum „venio tibi“ una cum iis, quae consequuntur: 2,5.16.22s); b) etsi praemia a Supremo Remuneratore Christo distribuuntur, tamen indoles eorum consentanea est doctrinae Iohanneae, secundum quam gratia stricte nectitur cum gloria, nam in praemiis illis

semper conspicitur participatio quaedam fidelium in vita vel potestate Christi, quae procul dubio iam aevo terrestri incipitur (cf. J 3,36; 6,47.54; 17,3; 1 J 3,2, Ap 2,26s); c) victores praemiis digni exprimuntur participio praesentis *νυκτόν*, in quo sensus futuri cum tempore praesenti in unum coalescit; d) „manna absconditum“ partim saltem ad aevum praesens pertinere duo suadent: ipse typus biblicus „panis viatorum“ necnon appositorum adiectivum „absconditum“, quod vix potest componi cum caelo, ubi „quidquid latet, apparebit“. Quam ob rem „manna absconditum“ complectere utraque dona, gratiae videlicet et futurae gloriae, ultro conceditur ab iis etiam, quibus sensus symboli huius eucharisticus non ita certus videtur<sup>5)</sup>.

Altera ex parte etsi non est dubium, quin casset in caelo Eucharistia, nexus huius sacramenti cum eschatologia Novi Testamenti studia exegetica recens edita merito elucidarunt<sup>6)</sup>. Adest enim in ipsa anticipatio quaedam Parusiae, ratione habita utriusque adventus Domini („Maranatha!“), adest etiam inchoatio quaedam vitae unionisque intimae cum Christo, quae imagine cenae amicorum apte adumbratur (cf. Ap 3,20). In ceteris scriptis Iohanneis adest nedium hiatus, sed nexus sat strictus Eucharistiam inter et eschatologiam, ut patet ex magno sermone eucharistico (praecipue cf. J 6,50-52). Nihil igitur obstat, quominus etiam in „manna abscondito“ adsit allusio ad Eucharistiam, nempe ad ipsius effectus perennes his in terris inchoatos.

Iam respondendum est ultimae non tam obiectioni, quam potius rectissimae postulationi, videlicet, ut peculiaris indolis symbolorum, quae in Apocalypsi usurpantur, ratio prae oculis habeatur. Hac in re optima videtur via media, talis scilicet, quae pari modo rigidam „more geometrico“ faciendam interpretationem evitet, quam nimis latum modum tractandi symbola illa, ac si omnia praemia unam eandemque rem variis dumtaxat

---

<sup>5)</sup> Certainement Jean, si spirituel, ne retient que le symbole de biens tout à la fois futurs et actuels" J. Bonsirven, op. cit., 115.

<sup>6)</sup> Cf. Y. de Montcheuil, Signification eschatologique du repas eucharistique, RechSctel 33 (1946) 10—43; O. Cullmann, Christ et le temps, Neuchâtel — Paris 1947, 110.

nominibus designarent<sup>7)</sup>). Nostro igitur in casu „manna absconditum“ non solum cibum eucharisticum hac vita durante suscipiendum significat, sed idem arcanum adiumentum gratiae, quatenus inchoat iam vitam cum Christo perennem. Aliis verbis, uno solo obtutu — ut nunc dicimus „perspectiva“ — effectum aeternum una cum causa ipsius temporali necesse est consideremus<sup>8)</sup>.

Postquam obiectionibus respondimus, restat, ut e sermonis contextu pauca quaedam eruamus, quae interpretationi eucharisticae sint adminicula, supposita sane fundamentali analogia cum doctrina sermonis eucharistici (J 6).

1) Genetivus partitivus τοῦ μάννας loco simplicis accusativi mirum quantum quadrat cum locutione „vere est cibus“ (J 6,55). Non idea abstracta, sed proprie cibus est illud manna.

2) „Absconditum“ (apud veteres etiam: „absconsum“) exprimitur participio perfecti κεκρυμμένον. Quod verbi in hac forma significationem attinet, ut lexica produnt, haec in Novo Testamento referri solet ad arcanum quid vel secretum (v. gr.: Mt 13,35; L 18,34; J 19,38; 1 C 2,7; E 3,9; C 1,26). Cum insuper participium perfecti innuat statum actionis verbi durantem, illud arcanum manna apocalypticum tali statu remanet: Profunditas mysterii realis praesentiae Christi in Eucharistia, quod „donec veniat“ duraturum est, optime exprimitur. Si vero effectus Eucharistiae perennes consideramus, arcanum illud pertinet ad magnitudinem praemii, similiter ac in 1 C 2,9.

3) „Calculus candidus cum nomine novo“ simul cum „manna abscondito“ tribuendus „vincenti“ — etsi originem imaginis non ita clare manifestat — rem a se significatam non obscure prodit: „in scripto Iohanneo hoc aliud esse nequit, nisi illa naturae nostra regeneratio, sine qua in regnum Dei introire non possu-

<sup>7)</sup> „Auctor, qui libentissime translatione et imagine utitur, qui imagines suas magis cogitat, quam imaginatur..., talis auctor similitudinibus non utitur modo vago et promiscuo“ A. Škrinjar, art. cit., 186.

<sup>8)</sup> Simile quid, signum videlicet sensibile et rem significatam in unum confluere videmus etiam in epistulis Ignatianis, haud ita multum post Apocalypsin conscriptis. Cf. ea, quae scripseram: De Eucharistia apud Ignatium Antiochenum, CollTh 22 (1950—51) 50—53.

mus (J 3, 3.5), nisi illa transformatio, qua efficimur et nominamur filli Dei (1 J 3,1). Utrum magis status gratiae, an status gloriae respiciatur, haud facile definitur“<sup>9)</sup>. „Nomen novum“ est certo saltem effectus primarius sacramenti Baptismi „sub specie aeternitatis“ consideratus. Parallelismus utriusque sacramenti, Baptismi videlicet et Eucharistiae, theologiae Iohanneae carus (cf. J 19,34; 1 J 5,6.8) merito hic videri potest.

His omnibus perpensis sensum eucharisticum locutioni „manna absconditum“ subesse vix potest negari. Quod tamen non tam solum Eucharistiae sacramentum durante hac vita terrestri sumendum significat, quam potius ab Eucharistia praecipue auctam participationem fidelium in vita Christi, quae participatio nunc vere inchoata, in „vincentibus“ in aeternum est duratura. Totum igitur sermonis contextum tali liceat reddere paraphrasi: „Vincenti tentationes participandi in sacris mensis gentilium dabo frui effectibus, quos mea sacra mensa, i. e. Eucharistia, semper remanens arcana et intellectui impervia, tribuit hoc aëvo atque futuro; simulque dabo ipsi frui effectibus meae initianonis baptismalis, quae nexus ineffabilem incomunicabilemque ceteris inter me et ipsum vincentem iam inchoat“.

Tota haec quaestio de genuino sensu vocis „manna“ non est sine consecariis pro theologia Novi Testamenti. Si enim sensus eucharisticus heic accipitur, novum habetur exemplum duplicitis adimplectionis typi biblici ex Vetere Testamento desumpti, quarum altera fit in oeconomia Novi Testamenti terrestri, altera vero in aeternitate, ad instar tryptychi<sup>10)</sup> cuiusdam: 1) manna historicum, 2) manna absconditum seu Eucharistiae sacramentum, 3) „sempiterna fruitio divinitatis praefigurata“<sup>11</sup> ab Eucharistia et simul vere inchoata. Novum item habetur argumentum pro existentia typorum etiam in Novo Testamento.

<sup>9)</sup> Škrinjar, art. cit., 278.

<sup>10)</sup> Cuius exemplum in hac serie: Baptismus inter diluvium et ultimum iudicium clare exposuit J. Daniélou, Sacramentum futuri, Etudes sur les origines de la typologie biblique, Paris 1950, 55—85.

<sup>11)</sup> Postcommunio festi Ssmi Corporis Christi.